

*Prudentia consultatoria* aliàs dicitur & *senatoria*, est, quæ deliberat de futuris Reip. negotiis. Hæc ipsa quantum utilitatis in universam societatem refundat, Sallustius in oratione ad Cæs. de Rep. ord. edisserit: ego, inquiens comperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eo prosperam habuisse imperium, dum apud eos vera consilia & bona valuerunt. In capiendis autem consiliis Heiderus & Wendelinus seqq. requirunt: 1.) ut Legi divinæ respondeant, nec utilitatem honesto, sed honestum utilitati præferant, Nam ad Garamantes & Indos releganda est astutia ista Machiavellica, quæ nullam viam non rectam putat, dummodò sit utilis, nec calumniis, mendaciis, perfidiâ, proditione, ac perjuriis abstinet, si sceleri sit paratum pretium, aut præmium.

(2.) Ut sint lenta & circumspècta, sed festinetur eorum executio. Quod Aristoteles probat 6. Ethic. c. 9. δὲ τὸ πρότερον ταχὺ τὰ βέλτερά, βέλτερά δὲ βραδέως: cito faciendâ sunt, de quibus consultatur, sed lentè consultandum. Quod & Sallustius bell. Jug. confirmat: priusquam incipias, consulto, & ubi consulueris, maturè factò opus est. Quibus etiam tritum illud suum confert calculum: sis in consiliis cochlea, in factis aquila.

(3.) Ut omni careant affectu vehementiori. Nam non facile animus verum prævidet, ubi affectus officium, Sallust. in Catil.

(4.) Ut sint moderata, Etenim consilia calida & audacia primâ specie leta sunt, tractatu dura, eventus tristia, Plin.

(5.) Ut silentio tegantur. Nam taciturnitas optimum ac tutissimum est reipublicæ administrandæ vinculum, teste Valerio Max. l. 2, c. 2. Et vera vox Curtii est l. 4. res magna sustineri ab eo non possunt, cui tacere grave est. Quod ipsum Persas non latuit, hinc neminem in consiliorum societatem accipiebant, nisi quem taciturnitas & fidelitas commendarent. Quid? quod Ægyptius Lex erat, linguam ei abscindere, qui arcana Reipublicæ detexisset. Nec Romani hæc in re mitiores erant: quippe qui tale hominum genus rogo multarunt, quamvis (ut loquitur Hier. Drexelius) supervacanea videri potuerit hæc Lex apud eos, quorum curiam sic clauserat silentium, ut, non dicam,